

Idem (T. C.)	pag. 182
Maxima debetur puero reverentia (<i>Subalpinus</i>)	" 130
Quomodo rei militaris studium ad hodiernos mores pertineat (<i>Paci- ficus</i>)	" 145
De studio neutrarum partium in bello (T. C.)	" 202
Philosophia ac Theologia.	
Salomonius Reinach contra syno- ptica Evangelia (<i>R. Fei</i>)	pag. 47
Roma Sacra.	
Acta Benedicti XV P. M.	
pag. 17, 39, 57, 99, 120, 140, 158, 178, 198, 217	
Oratio ad Deum qua finis bello- rum pacisque redditus imploretur (L. r. I. <i>Tasset</i>)	pag. 120
Sacrae Congregationes :	
Decreta iam alias edita tempore belli, quae omnino adhuc videntur Sacra Congregatio Concilii. — Ius funerandi circa Capellanos Ca- strenses	" 160
Sacra Congregatio Consistorialis. De vetitis nobilitatis familiaris titulis et signis in Episcoporum inscriptionibus et insignibus, vul- go "armis"	" 159
Decreta de parochis et paroecis pag. 159, 217	" 100
Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum — De Sacra Sy- naxi et de celebratione Missae in castris	pag. 58
Facultas adservandi SS. Eucharist. in stativis castrorum valetudinariis ataque in bellicis navibus . . .	" 159
Sacra Congregatio Indicis. — Libri prohibiti	" 100
Sacra Congregatio pro Negotiis Ec- clesiasticis Extraordinariis. — Pro captivis saevientis nunc Eu- ropae belli	" 18
Sacra Congregatio Rituum. — De festis localibus quae a Religiosis recoli debeant. — De orationibus servos Dei cum sanctitatis fama defunctis respicientibus	" 40
De insuetis cultus titulis pro Ec- clesiis et sacris imaginibus non adhibendis	58
De syllabis hypermetricis quoad cantum	" 140
De imaginibus Beatorum publicae venerationi expositiis	" 159
Sacra Congregatio Studiorum. — Academias Romanae S. Thomae Aquinatis statuta retractata . . .	" 78
Sacra Poenitentiaria Apostolica. — De militibus ad proelium vocatis De sacerdotibus non Capellanis ad exercitum pertinentibus, circa fa- cultatem excipiendi fidelium con- fessiones durante bello	" 58
	" 79
De militibus in statu bellicae con- vocationis	pag. 140
Pontificia Commisso de Re Biblio- ca. — Dubia de "Parousia"	" 160
Vita functi viri clariores	pag. 100, 217
Vacui temporis hora.	
Nomnulla de chronologia	pag. 14
Iocosa pag. 16, 38, 55, 76, 97, 139, 158, 177, 198, 216	
Aenigmata, pag. 16, 38, 56, 76, 97, 118, 139, 158, 177, 198, 216	
Cibaria argumenta, pag. 37, 38, 54, 55, 74, 95, 96, 138, 176, 196	
(Vide etiam <i>Vetera et nova</i>).	
Quam longissime proeliorum fra- gor audiatur	pag. 75
De subaqueis lintribus	" 75
De solidata charta	" 96
Musicotherapia	" 116
Cardiographum atque pneumogra- phum	" 117
Narratiuncula de Vincentio Bellinio	" 117
Homarano	" 137
De heliotherapia	" 138
Musices et bellum	" 157
Loquela lampadi eletrica virtute incandescenti inducere	" 176
Cursus sellularius	" 177
De cane venatico	" 197
De terra primo Europaei belli anno in vallis effossa	" 197
Consuetudines et traditiones Nata- liae	" 215
Varia.	
De aviatione (<i>Subalpinus</i>)	pag. 7, 27, 216
Solatia in adversis. (<i>G. Tibauts</i>)	9
Pacis monumentum in Andinus mon- tibus (<i>P. Ardizzone</i>)	" 34
Bellicae calamitates (Ex historiis <i>I. C. Cordara</i>)	" 56
Franciscus Xaverius Reuss in certa- mine poetico Hoefftiano anni MCMXIV victor renunciatus (<i>Al- ma Roma</i>)	" 61
Castrenses epistolae (<i>L. Wagenheim</i> - <i>E. Baudry</i>)	" 70
Pyloclastrum sive Pettardum (<i>E. Famiano Strada</i>)	" 77
Iosephus Fornari, "Almae Romae" Moderator, Eques Torquatus Gre- gorianus renunciatus	" 101
"Semper dum vivam tui meminero" varii dicendi modus. (Ex elegan- tiis <i>A. Manutii Iun.</i>)	" 118, 173
De piorum hominum Societate, cui nomen a Cruce Rubra. (<i>I. B. F.</i>)	pag. 166, 185
De Timavo (<i>Subalpinus</i>)	pag. 189
Ioannes Cagliero, Sacra Purpura honestatus (<i>I. B. Francesia</i>)	" 212
Vetera et nova.	
De "Globulis", vulgo "Gnocchi", (<i>I. Bonavenia</i>)	pag. 12
De tormentis bellicis (<i>I. F.</i>)	pag. 132, 209

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mit-
tendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ☰ ☱

Sociis et Lectoribus

Commentarii nostri humanissimis.

Si ad novi anni portas, quae quidem stridenti cardine diraeque ferro et compagibus arctis panduntur, haerentes animo paullisper consistimus, spatium tamen praeteriti temporis respicientes, causam profecto non invenimus eur studio ac voluntate a re, quam tantopere persequimur, abhorreamus novumque agonem fidentes alacrique animo ingredi dubitemus. Dum enim tot incopta vel nobilissima Martis furore absumpta sunt, tot voces silere, tot sententiae a proposito aber-
rare et deflectere debuerunt, vivimus tamen nos; imo etiam agmen nostrum, si hinc abscissum, inde tamen videmus non minus vicissim constitutum. Quum scilicet belli acerrima haec contentio, quae strage ruinaque sua latissime Euro-
pam pervadit, commercia dirimit, amicos in hostes convertit, socios non paucos a nobis separavit, ad quos usque pervenire iam aliquot menses vetti sumus, en alii aliunde in eorum locum succedunt, lances aequato examine sustinere nobis concedentes, parique pondere praesto esse ad praesidium. Non ii sumus qui id laboris nostri, quem sentimus quam sit exiguis, quasi effectum et praemium nobis vindicemus; imo vero ex Aliae Matris aeterna fascinatione omnino repetimus; ex virtute, inquam, per quam in uno eodemque materno illius eloquio eor unum tandem et animam unam pulsare identidem omnes agnoscent, qui in tanto rerum discrimine, in infensissima mentium discrepantia, in nefariis sensibus inclusae invidiae tam multa profusione, benevolam saltem vocem audire diuturno desiderio flagrant, in eaque refici. Quae ut propria quam plurimis evadat ac perennis, id pro viribus, qualescumque eae fuerint, nos et volumus et optamus; quin etiam satagemus.

Si quis itaque a nobis quaerat qua peculiari ratione rem simus per annum hunc MCMXVI exequuturi, facile respondebimus: « In ea persistemus, quam probatam sociis et antiquis et recentibus accepimus; et alias pervestigabimus, quibus, unitatem cum varietate connectentes, commentarium hunc nostrum acceptum magis et utilem faciamus in dies ».

Inter haec spectandum quoque et singulariter nobis visum est ad adolescentes, nimirum ut futurae aetatis hanc spem et ornamentum in viam nostram adducere

mus. Itaque *Pro iunioribus* rubricam addere in nostro commentario designavimus, ubi argumenta tractabuntur iis praesertim accommodata, ut de vitae vivendae institutis, de verborum vi et significazione ad res apte exprimendas, de grammaticae regulis, etc.; rationes ipsas non neglegentes qua latine scribendo ii valeant initiari. Ipsi alliciendis iam milesiam fabulam scenis non gravi negotio agendum, *Fridianum*, vulgavimus; alteram iam edere coepimus; hac expleta, colloquia de communibus vitae rebus sequentur, nominumque phrasiumque collectanea per capita rerum distributa, ex quibus facilior etiam aditus ad orationem fiat. Ne tamen quis credat commentarii indolem mutandi consilium nobis fuisse; volumus tantum quae nobis apparuit lacunam replere.

Quo vero proposita omnia nostra amplius erigantur et confirmentur, studio ac patrocinio vestro, o socii et lectores humanissimi, prorsus indigemus. Quae quidem et sedulitate et navitate a vobis ostendentur, per quarum alteram subnotationis suae tributum, unicum *Almae Romae* fulcimen, quisque vestrum sine mora solvat; per alteram novos socios procuret. Quid, — iterum sinite a mobis animadverti — quid, si unusquisque socium novum unum ex parte sua nobis acquisiverit? Non impossibilia aedepol! suademus; atque tamen qualem per unumquemque perficiendi operis nostri auctorem ac defensorem habuerimus!..

* *

Iuvat denique subnotationis prospectum oculis vestris subponere.

Almae Romae consociatio bifariam dividitur, Patronorum nempe et Sociorum.

PATRONUS est qui summam saltem italicarum libellarum centum quotannis commentario elargiendam sibi sumpserit; eique ius fit exemplaria aliquot gratuito attribuendi totidem personis a se designandis.

SOCIUS in singulos annos solvit, si in Italia, libell. 9; extra Italianam, ubique libell. 12 (doll. 2,40; mark. 10; rubl. 4 $\frac{1}{2}$; sh. 10; coron. 12).

Pro iis autem qui, per annum MCMXVI advenientes, integrum *Almae Romae* collectionem sibi cupiant, a mense Maio MCMXIV quum publicari coepit, ad mensem Decembrem MCMXVI, **subnotatio extraordinaria** indicta est pro Italia libell. 22; extra Italianam libell. 28. Qui autem libell. 1,50 suo pretio addiderit, tamquam **praemium semigratuitum** accipiet H. IACOBELLI opus, cui titulus: *In campo latinitatis novi flores*, quod venali prostat libell. tribus, et est novorum verborum ad res communis hodierni usus latine dicendas messis copiosa.

Ad fruendum vero extraordinaria subnotatione itemque praemio hoc semigratuito, necesse omnino est ut pecunia recto tramite mittatur ad IOSEPHUM FORNARI, Almae Romae Moderatorem, (Roma, Via del Governo Vecchio, 96).

Quod demum attinet ad pecuniae transmissionem, socii, praesertim apud exteriores civitates commorantes, teneant eam facile non solum per publici cursus mandatum fieri posse, verum etiam per syngrapham apud aliquam nummariam mensam Romae exigendam, et per commissionem quoque apud extera in Urbe seminaria et collegia, in quibus omnibus clientes adnumeramus.

VIAE AD PACEM

Quae ab Ecclesiae universae Pastore sollemniter edici nuper a Vaticano audivimus, — et calamitosissimi diurnique unde vexamus belli questus, et vota illius pacis, qualem universitas gentium tantopere exposcit, quae iusta scilicet ac stabilis sit, eaque per graves maxime firmosque sensus ac studium mutua observandi iura et populorum fraternitatem definita —, christianaे humanitatis genuinam affirmationem alte iterum proclamant ab immani huius Martis certamine quam longissime subductae. At vero praeter tantae ruinae novam complorationem, praeter vota precesque ad Deum sublatas, velit iam cruentam dimicationem virtute sua profligare, aliud, et quidem summi momenti, est in Christianae reipublicae gubernatoris amplissima recenti illa allocutione: via nimirum tutior expeditaque aperitur, quae ad aliam pacem, tot animorum desiderio exoptatam, adducat. Eam quidem pacis iurium adsertor et vindicta Benedictus XV in suis litteris datis ad bellantes populos eorumque rectores volente anno ex quo bellum idem exortum fuerat, iam adumbraverat; sternit nunc accurate, opereque munit iustitiae ac temperantiae. Consilia utrimque vel per se vel per interpretes collata; suae cuiusque rationes atque optata volentibus animis et sincera officii conscientia aperte delicideque producta atque expensa, ita sane, ut quae iustitiae haud congruant, quae modum excedant, ea quidem tollantur e medio, cetera vero, pactis etiam ex aequo, si res ipsa postulet, compensationibus, admittantur; a singulis partibus esse repetendum quod in quavis hominum controversia, quae ipso eorum iudicio dirimi velit, utraque ex parte disceptantium plane requiritur, ut de susceptis propositis vel de praecpta utilitatum spe remittatur aliquid, seu concedatur; haec omnia non equidem species per mentem oblatas constituunt, quemadmodum impudenter asserere quispiam non dubitavit; verum provida scientia consulta, actuosa idoneaque remedia evadunt, cuiilibet proposita volenti sincerum, solidum, incorruptibile pacis opus aggredi; eo imo magis vera atque salutaria, quo experientia iam probaverit optata per ipsa teneri demum posse. Probavit quidem in bello Iaponios inter atque Russos; recentius autem inter Italos ac Turcas, quum hostilibus etiam cum perdurantibus, pacis negotiationes vidimus iniri easque feliciter progredi. An menti cuvis eo tempore succurrit ignavae prudentiae notam actioni illi inurere? Quam profecto eventus brevi redarguerent, siquidem ex tractationibus illis perfecta res est.

Ceterum ecquo alio itenere metam contingere dabitur? Numne per bellantium numerum in infinitum adactum? An per offensionis rationes amplificatas saevioresque et cruenter factas? Num denique extremi exitii consiliis pacis firmum aedificium attolleatur? Haec equidem aegri somnia, cui vanae finguntur species; haud enim — ut alias Pontifex monuit — moriuntur nationes: afflictæ et oppressæ, impositum iugum ferunt frementes, redemptionem suam parantes, tristemque odii atque ultionis haereditatem transmittentes a generatione in generationem.

Per Dei et hominum fidem! Viam eamque regiam, quae a tristissimo hoc rerum statu ad certam, honestam, stabilemque pacem adducat, una est, quae summus Christianae Religionis Interpres

indicavit: serena scilicet mente iura rectaque populorum vota perpendere; benevolentia animo, sive recta via, sive indirecta consiliorum permutationem ita constituere, ut iurium cuiusque votorumque ratio quantum deceat habeatur.

Operosi consilii hoc monitum et hodie iteratum, ecquid nondum auditur? Atqui Parentis amantissimi vox est, quae inter armorum fragorem urgente caritate sublime resonans, iacturas calamitatesque multiplices delenire iam valuit; quae unicos, tot iniuriis conviciisque invicem intortis, pietatis humanitatisque edidit accentus; cui vis fuit tot captivorum millium vincula dissolvere, tot vulneratos aegrotantesque solari, anxios animos placare, lacrymas comprimere, atque etiam capitum poena mulctatos nonnunquam vitae servare....

Numne igitur a nobis ita sumus abrepti, ut huiusmodi vocem percipere nequeamus?

A. R.

De litteris apud Gallos recentioribus et mox adhibendis

Abhinc aliquot dies ab ephemeridum scriptoribus praesertim agitari coepit est formidolosa illa quaestio, quae iamdiu doctorum mentem torquebat; de nova scilicet scribendi ratione sumenda post immane bellum, quo universa Gallorum natio tam misere laceratur. Quaeatur enim curiose et a compluribus: Quaenam erunt artes, quae ratio in scribendo, extincto bello, quum late pax omnia obtinuerit et homines libere denuo edisserere poterunt? Quiescentibus animis, quid erit denique faciendum; quo-

nam modo scriptores munus suum, exornabunt, ut iterum gentis salutem consequantur? Constat enim apud omnes, hisce nostris temporibus, universos fere gallicos scriptores, ingenio litterisque praestantiores, post accerrimam Napoleonis I imperatoris aetatem, miserum in modum a recta scribendi via aberrasse, quae omnibus intelligentis iudicii viris, omni tempore, atque apud omnes gentes, adprobari solet. Alii autem alia ratione ipsam rem pertractant, uti mos est in mortalibus rebus; atque lis adhuc sub iudice versatur. Galli enim, ut in litteris et in armis artibusque primas semper obtinerent, studio contenderunt; properea scire nunc quisque postulat utrum futuri scriptores ingenio multitudinis iterum plus aequo indultri sint, an in melius conversi, illuc omnino spectaturi, ut animos ad humaniores unice sensus informent atque potissimum ad religionis cultum excitandum. Hoc autem est in votis, et ipsa res sibi obvia offertur. Omnes autem litterarum cultores illuc admodum tendere videntur, ut novis advenientibus saeculis, pacem in populis suadeant; propterea bene de omnibus gens illa merebitur, omniumque laudibus melioribusque cumulabitur, quae alacriori studio hoc sibi in primis proposuerit, totisque nervis illuc contenderit.

Longe alia fuit, hisce mox elapsis temporibus, scriptorum mens, illorum potissimum, qui primas referebant. Hic, ut de defunctis tantummodo loquar, constat, omnes qui e communi rerum hominumque naufragio ad nos enatarunt, pedissequos admodum fuisse, illorumque imitatores, paucissimis exceptis, qui paullo ante floruerint; quo factum est ut, eorum opera atque studio, litterae nostrae pestilenti quodam sidere afflatae,

mirum in modum poetas, historicos, et ipsos fabularum milesiarum scriptores corrumperent, atque in improbam partem abriperent. Ipsi sane erit attribuenda immensa illa malorum colluvies, quae veluti e suo fonte in publicos mores irruit, ex eorum pessimis voluminibus exundans, ab eorum scilicet elegantissima stili arte et iueundis verborum atque sententiarum lenociniis. Omnes hoc mihi facile concedent, qui in mentem revocaverint quot mala litteris moribusque Gallorum inoculavit Ernestus Renan, perfidus ille scriptor qui tam insidiouse pravoque ingenio de Divi Iesu vita historiam exaravit. Erat in eo falsa equidem atque fucosa sapientiae facies, sed exilis admodum et inefficax; lectoribus vero improba atque in patriam in primis damnosa. Non enim patriam colit qui eius religionem ab imis fundamentis eruere nititur, eiusque iura atque instituta, in quibus unice freti, hoc potissimum tempore tam difficili tamque reipublicae horribili, populi se se defendere potuerunt atque ab supraemis patriae ruina eripere. Quo nomine istud semper sceleris erit atque in aeternum Ernesto Renan inurendum. Noverit annus, suopte ingenio fecerit an imprudens, Deus scit; sed eius incredulitas leviorum hominum genio perperam indulxit, quae paulo post, perturbatis omnium rerum ordinibus, improbissimos mores in cives invexit. Ipso enim defuncto, omnes fere scriptores, qui se ingenio praestare crederent, sive poetae essent sive fabularum milesiarum auctores, eius vestigiis insistentes, haud se melius gesserunt. Namque artificio quodam perverso, ipsum rerum argumentum atque viros qui primas partes in suis voluminibus agunt, ex infimo tantummodo ac tunicato popello insumendum

autumabant, vitium laudibus ad caelum efferebant, vel saltem omnibus verborum lenociniis exornabant, mentem deturabant, moresque publicos pervertabant. Ad haec, quum praedicarent inutilem omnino gentibus religionem, nunquam eorum consilium adsurgit ad illa, quae sub sensu non cadunt, sublimesque spiritus extinguit, qui animos ad munera sua obeunda vel ipso mortis periculo, attollunt. Verbis et exemplis eo omnino spectare videntur, ut lectores allicant ac pecuniam quaerant. Ut Horatius scripsit, ipsi perfecerunt: « O cives, cives, primum quaerenda est pecunia... Virtus post nummos! » Ex quo iam patet, quanto christiana sapientia ad litteras excolendas magis conferat, quam illa philosophorum placita, quae potiusquam mortalium mentem ad caelum erigant, humi defigere consueverunt.

Inter hos novissimos nefastos in scribendo homines recensendus est in primis Aemilius Zola, notissimus idemque plebeculae carissimus. Hos ob ignorantiam tantummodo excusabis, humanissime lector; at omnes pro viribus silentii poenae damnabis; et Gallia aliquando in melius conversa, quod tam improbum coluerit, hominesque eius imitatores, admirabitur ac nimio pudore afficietur. At si hos merito expungendos curaveris, qui eos excipiet? Id enim imprimis quaeritur: Quid homines in posterum lectitare postulabunt? Quamque sibi metu scriptores contingere proponent, qua potissimum via id assequentur? Proposito dubio, quum nemo responsum dare audeat, haec in promptu placita, utpote salutaria, candido animo aperimus.

Qui, hoc bello profligato, historiam legere optabit, studio rerum patriae ardenter apparebit atque diligentior.

Res optime gestas temporis transacti
earumque magnanimos factores in men-
tem revocabit. Iuvenes ergo, qui aetati
nostrae superstites erunt, et quotquot
vel ab ineunte vita, hisce magistris, in
patriam amorem purius atque castius
hauriant, tantam virtutem admirati, uno
spiritu animoque, patriae incolumitatem
atque magnitudinem comparare stude-
bunt. Hoc idem vel ab illis postulabit-
ur fortasse, qui fabulas milesias scri-
pitit. Ut grandior sit in eis vis co-
gitandi, ut magnas hominum virtutes
laudibus exaltent, illustrorum ingenia
ac omnium merita qui vel humili loco
nati ob magnanima gesta se se illustra-
runt. Ipsi vero inconsulto ac perperam,
meo quidem iudicio, argumenta operum
suorum a recentioribus bellis adsu-
ment. Omnes enim vobis facile respon-
debunt: inventa vestra etsi grandia
erunt atque magnifica, nunquam ad re-
rum antiquarum amplitudinem atque
magnificentiam se se extollere poterunt.
Ad historiam spectat unice et modo
post aliquot annos attestari quod poste-
ris prorogari fas erit.

Haec quoque summa votorum atque
iudiciorum Daudenti, qui maxima apud
suos auctoritate valet atque sapientia.
Erant autem dicenda, quamquam modo
sint desideria, ut quisque facile nove-
rit quid ipse exoptet, quoniam errores
insimulet, qui demonstrat in tot malis
patratis erroribusque temporis transacti,
qua via et nos Itali in futurum ad no-
bilem rerum instaurationem adsurgere
possimus.

FRANC.



Licet superbis ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.

HORAT., Epod., 4.

MATER DOLOROSA

*Ad Te fracta malis sublevo pectora,
Quae stas, Virgo potens, sub crucis arbore:
Vires, eia!, secundas
Matri, Mater, o! suffice.*

*Huic succede lari dulcibus hactenus
Pleno, nunc viduo, Mater, amoribus:
Desertae miserere!...
Te quaenam plaga, sors tenet,*

*Fili mi? Imbre meas piae maris aestibus
Aspro implente genas, classica dum domum
Pervadunt fera, sclopis
Abrumpenda ferocibus*

*Te cerno arma manu sumere, iurum,
Hostis quae violat, vindice (pendulo
Nec libratus amore,
Matris vel patriae, haesitas);*

*Te, in matrem studio, quo tener ureris,
Forti vox patriae fortior abripit...
Concessisse vocanti
Matrem non piget oscula!...*

*At cordi subeunt quae iurenilia
Vitae vere tuae germina pullulant,
Lusuri decus aeri,
Pacis sede, nepotibus.*

*Sic frons uber adest, a patre degener
Nunquam, cuius honor gleba tepentibus
Guttis sparsa, et opimis
Dives messibus. Horreum*

*Abducta arva labro vomeris, arvaque
Sulcum hei! vacuum semine, dexteram
Sulcus flevit avari
Clausam turbine pralii!*

*Et me dextra cupit, pro illecebris piae
Matris, pulsa modo pondere fraxini
Saevae cuspide, Fili,
In eor quam executis hosticium.*

*Per dextram rogo te, parce ululatibus
Matrum... non oditis anxia distrahit
Unquam pectora matrum
Bellum nobile filiis!...*

*Et eor suave, tua fronte venustius,
Tecti sollicitis palpitat angulis:
Subridentis amoris
Totos compleat odoribus.*

*Quid mirum rutilans si rosa lili
Visa est albicomam poscere gratiam?*

*Si flores hymenaeo
Offert aura favonii?*

*Fusorum igne tenax arrhabo pectorum
Desponsam speciem presserat, et manum
Suetam ferre laborem
Sacra compserat annulo.*

*Nunc cum matre gemit virgo, aquilonio
Praecox non secus ac ramulus impete
Denudatus amictu,
Sub quo altrix movet, irrita*

*Spe, Pomona novis ubera fructibus.
Sponsae ne gemitus accumulem tuae,
Furtim labitur humor,
Fili!... matris ut allevet*

*Virgo tristitiam, somnia mī refert,
Queis tu corda beas!... Huc tamen horrida,
Heu, heu, horrida dictu
Isthinc nuntia transnatant.*

*Advenisse plagis rursus inhospitis
Europae imperium dicitur aeneum,
Armis lucta gigantum
Late depopulari agros,*

*Olim quos placide Relligio patrum
Incunda populis arte oneraverat,
Effundique superba
Ferri vi crux innocens!*

*Tortum clade scio te truce vorticis,
Fili, sanguinei, libera quo vocat
Natos patria: patrum
Nervo macte! gigantibus*

*Obluctare gigas!... Conscia Tu mali,
Quae stas, Virgo potens, sub crucis arbore,
Plebi redde quietem,
Et matrum miserescito!*

THOMAS VIGNAS, S. P.

SANCTUS COLUMBANUS

(Anno millesimo tercentesimo exeunte ab eius obitu)

Inter tot armorum strepitus ac mili-
tum incursiones vix homines memora-
bunt sanctissimum virum cui nomen fuit
Columbanus, et procul negotiis, totus
in agris colendis vixit et in hominibus
ad cultum camporum adducendis atque
ad meliorem frugem. Ipsum et verum
dices candidumque generis humani de-
licium. Quo facto, gravis esset, mea
quidem sententia, culpa nostra, si inte-
ger eius obitus centenarius praeteriret,
et pauca saltem verba in eius honorem
non promeremus.

Natus est Columbanus in Hibernia
insula eo ipso anno quo ad Montem
Casinum diem obiit supremum S. Be-
nedictus, celeber ille monachorum pater
legifer, qui in Occidente sanctorum re-
ligiosorum nomen virtutibus ac doctrina
renovavit.

Mirabilis sane est mater Ecclesia,
quae, cum maxime effeta videtur, novos
in dies homines clarissimos gignit, qui
eius caput diademate immortalitatis ho-
nestant. Quam apte, Deo sic adiuvante,
in ipsa « uno avulso homine, non de-
ficit alter »! Et sua aetate magna malo-
rum colluvies illam Galliarum regionem
premebat inter Merovingios reges, qui
Neustriam, Austrasiam ac Burgundiam
regerent, quamque fere animis hostili-
bus Germani atque Austriaci nunc de-
popolantur.

Columbanus, Benedicti virtutes aemu-
latus, relicta domo paterna, multis iam
litteris enutritus, prima admodum iu-
venta, divinos psalmos explanavit, et
monachorum vitam sub lege Sancti Con-
galli est prosecutus. Attamen, aetate
vix triginta annorum, ut esset ad maiora

natus, cum duodecim discipulis in Galliam evectus, doctrina, sanctitate, omnium ad se animos citissime convertit.

Ilo tempore, Gontranus, Clodovei filius fratris, idemque Burgundiae rex eum ad se vocavit, ut suos educaret ter rasque incultas coleret. Et hanc provinciam christianis moribus exornandam libenter Columbanus suscepit, et regiones illas coluit agricolis adhuc vacantes atque squalentes. Et quum sapienter vellit omnes mitibus moribus exornare, ipsosque reges ad humanitatem adducere, in principum invidiam incidit, atque in carcерem detrusus diu maximos labores sustulit probraque et ludibria. Tunc iterum divinitus liber, per Helvetiam, ubi posuit S. Gallum, qui eius habitatores moribus emolliret, in Italiam septuagenarius pervenit. Eum comiter exceperunt Agilulphus et Theodolinda, Longobardorum reges, qui ei Bobbiensem agrum, apud Trebiam flumen, excolendum trididerunt. Illuc tunc erat parvulum templum Petro sacrum, at temporum iniuria insigniter dirutum. Hoc Columbanus instaurare coepit eique coenobium adiungere; ad quod exstruendum uti eius historici fusi narrant, ipse, iam valde senex, humeris suis ultro saxa portavit per mille itineris difficultates.

Sic conditum est Bobbiense coenobium, per tot saecula claram et mirabilis hominum sanctitate illustrum atque disciplinis conventus. Ibi Pater sanctissimus duos modo annos vixit, mirumque vitae curriculum complevit. Ut pro viribus Longobardorum animos ad humanitatem adduceret, ad litteras antea interruptas rediit, multaque volumina composuit, ut superbae Longobardorum aures fastidiosius minime repudiarent.

Interea Clotarius secundus, totius fere Galliae rex, moerore animi tactus, quod suorum crimine vir sanctissimus Bobbi viveret, suavissimis litteris eum rogavit, ut in Galliam reverteret, atque primum conditum coenobium praesentia ac virtutibus recrearet. Ei litteras dedit Noster et sanctissimis equidem consiliis refertas, Italiae tamen hospitium obtinuit. Hie vero, modestissime victitans, ieuniis unice deditus atque precibus, et in sacrario e vivis saxis effosso ac Virgini dicato, vitam quietissime finivit, undecimo Kalendas Decembris anno quinto decimo supra sexcentesimum.

Hiberni immortalem civem miro semper amore sunt prosecuti, suaequae gentis Bobbiense coenobium habuerunt, quo hoc ipso anno labente, in animo proposuerant peregrinantes convenire, magnique viri cineres veneraturi, cuius cellam munificentissime exornaverant. Clarissimus Dublini Archiepiscopus Logue itemque Pater Cardinalis, adstare sperabat in solemni festo, ad quod Hiberni, Galli cum Italis coniunctissimis animis in honorem tanti viri simul concurrisserent.

Ad hoc, Rector Magni Catholici Studii Washingtoniensis in Americanis Septemtrionibus, vel ab ipso anno millesimo noningentesimo et duodecimo, praemium trium millium argenteorum ei proposuit, qui vitam atque opera S. Columbani edidisset ad temporum rationem apprime exacta; sed bella, hostium impressiones, et pericula maxima tot mala in eas ipsas regiones iniecerunt, ut quisque praeter opinionem de salute sua decertare potius nunc debeat...

Sanctus Columbanus sit omnibus suis nobisque pacis auctor et patronus!

SUBALPINUS.

ARCHAEOLOGICAE RES

PUERORUM POETARUM MEMORIA ROMAE INSTAURATA.

Abhinc aliquot annos ad viam Salarium, dum Aureliana moenia iterum propter novam urbis amplitudinem, hinc inde in utroque viae margine, cum aliquot turribus evertuntur, inventae sunt, magna equidem Romanorum civium laetitia, duae parvulae urnae sepulcrales, quas statim multi ac doctissimi viri mirum in modum illustrare coeperunt. Quum primum igitur, post tot saecula, ad hominum adspectum iterum haec monumenta adparuerunt, magna ingeniiorum exorta est contentio, quo melius atque commodius iter transeuntibus largiusque in commerciorum auxilium pararetur, utramque urnam alio deferre, ibique, ut aliqua rei memoria restaret, monitum solummodo relinquere. Romanis vero, quibus est insitus pulchritudinis sensus atque antiquitatis amor, longe aliud visum est. Ipsi enim, quibus nil carius est ac pretiosius quam quod de magnis atavis memoriam refert, voluerunt omnino in ipsa media via sepulcra illa novissima servare. Adeo Romae altum romanarum antiquitatum studium; idque peculiari cura colitur ac veluti religiose aestimatur. Et quoniam aliquo ante tempore alterius cippus ad museum capitolinum delatus fuerat, publice in priore loco positus est eadem forma cum inscriptionibus. Namque viri antiquitatis periti, additis novis semper et subtilibus animadversionibus, illuc tandem pervenerunt, ut facile hinc arguere potuerint, monumentum illud fuisse olim Q. Sulpicij Maximi, poetae vix undecim annorum. Quis enim ipsis felicior? Quis dignior dicere « sublimi feriam sidera

vertice »? Atque in eodem vestigio insistentes publica auctoritate effecerunt, ut, quo loco puer sepultus antea fuerat, ibi perfectissimum vetustioris sepulcri exemplar iam nunc aedificaretur.

Procul dubio nihil carius quam monumentum pueri exponere, qui, primo saeculo christiano, laude inclarescens in publico certamine lauream honoris praeceteris promeruit!

Mirum sane spectaculum omnique tempore praeclarum, quod Sulpicius hic paene puer et iam tot litteris florescens, insignem triumphum retulerit inter complures contendentes. Hoc vero certamen erat res in Urbe omnino recens, sed in primis utile atque opportunum. Namque nos optime novimus, ab Augusti excessu ad principatum Hadriani, non omni penitus lepore et venustate caruisse latitatem; etiamsi romanarum litterarum historia luculenter testatur, eas post Augustum a pristina elegancia et nitore tantum recessisse, ut senectutem quamdam habere viderentur. Ac propterea illud temporis spatium, quod centum ferme et tribus annis continetur, argentea latini sermonis aetas vulgo adpellatur. Externae enim locutiones romanam urbanitatem sic vitiarunt, ut gliscente in dies peregrinate, latinus sermo a nativo candore desciisse videretur atque in alium colorem deduci. Ne id mali in latinas litteras irrueret, prae ceteris quae Domitianus imperator invexit, adnumeratur hoc mirabile certamen, quod inter clarissimum virorum ingenia posuit, adstante ipso imperatore, quotquot in universo orbe terrarum essent, qui litteris artibusque florescerent, magnis propositis praemiis, ut quinto quoque anno solemnis caeremoniis de principatu contenserent. « Torpebant enim, ut ait I. Se-

neca, ingenia desidiosae iuventutis, nec in ullius honestae rei labore vigilatur ».

« Institut (Domitianus) — scribit Suetonius, — et quinquennale certamen Capitolino Iovi triplex, musicum, equestre, gymnicum, et aliquanto plurium quam nunc est coronarum; certabant enim prosa oratione graeca latinaque ». Festi solemnitas, loci frequentissimi dignitas; fiebat enim in ipso Capitolio tot meritis et triumphis resplendens; fama demun, quae ubique efferebatur, complures ex omnibus imperii partibus ad certamen adscivit, quod maioribus periculis plenum pro victoria adparuit, et propterea victoribus gloriosius.

Inter alios, qui illo primo tempore ingenii specimen laudibus adlecti ac praemiis sunt periclitati, P. Pomponius Statius recensetur, qui etsi maxime scientia valeret, et Domitiani, cui in primis adulabatur, sibi in posterum gratiam maiorem in modum conciliavit, inferior tamen discessit.

Verum dum omnes gratulabundi ei omnia fausta adprecantur et quod praeclarum nomen ipsi atque reipublicae sit comparatus, et ipse puer alacriori animo atque studio, omnibus admirantibus, commodiorem sibi viam ad gloriam atque ad immortalitatem parare nitebatur, eodem anno labente, nonagesimo quarto post Christum natum, lamentabili fato, magnoque parentum amicorumque moerore diem obiit suum.

Parentes insolabiliter luxerunt, dolentes celerius restinctos tantae virtutis igniculos, qui praeclarum suis et patriae lumen pollicebantur. Hisce quoque verbis in marmore excultis dolorem suum expromere student. Iuvat integrum inscriptionem in medium referre. Sic se habet:

DEIS MANIBUS SACRUM
Q. SULPICI Q. F. CLA. MAXIMI
DOMO ROMA
VIX. AN. XI. M. V. D. XII
HIC TERTIO CERTAMINIS LUSTRO
INTER GRAECOS POETAS DUOS ET SE PROFESSUS FAV.
QUEM OB TENERAM AETATEM [REM]
IN ADMIRATIONEM INGENIO SUO PERDUXIT
VERSUS EXTEMPORALES EO SUBJECTI SUNT
NE PARENTES ADFFECTIBUS SUIS INDULSISSE VIDEANIUR
Q. SULPICIUS EUGRAMUS ET LICINIA IANUARIA
PARENTES INFELICISSIMI
FILIO PISSIMO FECERUNT. SIBI ET SUIS.

Parentes qui tanto studio memoriam suavissimi filii posteris tradere nituntur, ne videantur nimias omnino laudes in eum profundere quem unice diligebant, optimum factu reputarunt versus super eius monumento describere, quibus in certamine vitor puerulus proclamatius est.

(Ad proximum numerum).

SENIOR.

Ingenuarum artium specimina

Hoffmanni tabula Christum referens cum doctoribus in templo disputantem.

Narrant Evangelia, Christum Iesum etiamtum duodenem, occasione festi Paschalis, Jerosolymam ductum fuisse a parentibus; illis vero, post legis obligationem impletam, regredientibus Nazareth, puerum Jerosolymae mansisse. Huius absentiam ambo coniuges integrade non animadverterunt, credentes cum cognatis amicis eum fuisse remigratum; sed vespere frustra quum requisivissent, altera die Jerosolymam reverterunt, interrogantemque et audiendum doctores in templo nacti sunt.

Hoc humanae Christi vitae episodium, in quo primum divina eius sapientia est

revelata, complures artifices allexit, ac praesertim pictores, qui sive tabulis, sive udo colore parietibus illinitis, illud repreäsentarunt. Inter recentiores Hoffmannus rem tractavit: hic vero potiusquam, ceteros fere omnes sequutus, in templi architectura spatiaretur, ubi

citer attingunt; quinimo et ipsum cuiusque doctoris ordinem singillatim indigant.

Constat enim non unius *Rabbini*, hoc est praceptoris (vox proprie sonat: *qui excellit*) dignitatem sub doctoris nomine apud Iudeos comprehendendi, verum alias



amplus doctorum coetus disserentem puerum circumdans proferretur, et Iosephi Mariaeque imaginem introduceret, maluit arctiori ambitu rem exponere, quo quidem in singularum figurarum habitu oris et vultu intimos animi sensus magis expromeret. Quod si, aut ego fallor, vim nimiam, divinae mansuetudini imparem, in Christo Iesu effingendo artifex adhibuisse appareret, gestus tamen modique, quibus doctores illos informavit, classicam, meo iudicio, artem feli-

nonnullas, quibus quasi per gradus obeundum erat antequam summam illam adipiscerentur. Erat et scholae praefectus, qui proprie *cacham* (h. e. *sapiens*) appellabatur; erant *bachur* sive *electi*; *caraitae*, seu *literales*; et *cabar rab*, sive *socii praceptoris*; et ita deinceps, sicuti aut in scientia legis aut traditionum magis exercitarentur: siquidem doctorum studia omnia legis textum, traditiones, cabalam, nempe arcanam Scripturae theologiam, spectabant. Qui-

bus omnibus unus praestabat praceptor ille maximus, qui in omnes causas sententiam dicebat; vetita ac permissa declarabat; omnes denique religionis controversiae, quin et civilia ad illum deferebantur. Connubiis etiam intererat, divortii causas cognoscebat, conciones si quando voluisse ad populum habebat, academiarum princeps constituebatur. Primae illi sedes in coetibus et in synagogis; penes illum multæ et excommunicationis ius; cui proinde obsequium ab omnibus demissum praestabatur.

Hunc Hoffmannum exprimere voluisse autumo in sene illo sedente librumque legis revolente dum puerum disceptantem scrutatur; alios autem iuxta alias singulorum proprias qualitates. Ceterum vos, lectores humanissimi, qui tabulam sub oculis habetis, an recte senserim, iudicetis.

X.

Q. Horatii Flacci epistola ad Augustum⁽¹⁾

Sic etiam Augustus, cuius sententiam pulcre noverat poëta, argutissimumque iudicium, *cacozelos* appellabat, quos malos nos imitatores diceremus, atque *affetati* vulgari eloquio essent dicendi, ut antiquarios et diverso genere vitiosos, pari fastidio spernebat. Sic quoque in hominum more positum esse cernimus. Clarissimi viri, qui prius armis, auctoritate gentes domuerant, ut consilium, iustitiam atque invictam animi fortitudinem testarentur, se se honeste et laudabiliter gerere putarunt, si vel de minimis curarent, ut quæ ad nativi sermonis

(1) Cfr. an. II, fasc. x.

puritatem conquirendam rectius spectarent. Haud aliter, tam diuturno temporis spatio, Augustus, qui moribus populos ornavit, legibusque emendavit, sibi faciendum esse putavit... Sed ad rem proprius alacres adeamus.

Attamen haud inutilis mora est nec plane otiosum quod Horatius perpetuo dictitat et ipsum vulgus in veteres scriptores respicere, atque in eos praesertim, qui animum ad comoedias et tragœdias conscribendas appulerunt. Ipsi enim vel ob usum aliquot verborum antiquitatem redolentium, vel personarum electionem, animos identidem spectatorum recreant atque ad illa quoque tempora molliter transferri ipsi videntur, quibus res agitur et veluti ob eorum oculos ponitur. Nec silentio praetereundum, Horatium libero ore fateri, vulgus, quod interdum rectum videat, errare aliquando, tunc potissimum quum nimis aequo veteres laudet, atque exundet in romanarum litterarum primordiis.

Vulgaris enim, suopte ductum ingenio, haud nimis a veritate aberrat, et ipso silentio identidem comicos corrigit, nunc clamoribus nunc et cachinnis reprehendere consuevit. Ipsa saepe plebs romana, naturaliter cultui puleri adsueta, ut olim dicitur graeca Athenis fecisse, oratores eumdemque Ciceronem clamoribus ausum fuisse arguere. Ad hanc plebem, iusti peritam rectique, spectant haec Horatii novissima verba, admonens tamen si e recto tramite aliquantis per esset transgressa, eam se minime secuturum. Eam boni magistrum pulcherrime appellat, eiusque morem laudibus effert, quum medium se gerens, nimis ad veteres rapere patitur. Tunc laetus eius sententiam absolutissime prosecuitur eamque doctissimam proclamat, dicens:

Et sapit et mecum facit et Iove iudicat aequo.

Iuvat denique ut morem nobis adsuetum prosequamur, singula scilicet quaeque difficiliora atque insignia interpretari. Carpit in primis qui *nimirum antiqua* in usum revocat, in modum qui praesenti consuetudini latinae repugnat. Et

Augustum argute scriptores vellicare meminit Suetonius, qui nimio amore antiquitatis decepti ad remotissima tempora insulsius regressi, quidquid veteres scriptitarunt in usum revocarent.

Dure: qui omnis est in compositionibus a latinae linguae indole abhorrentibus, constructionibus intricatis, et scabris versibus. Ita enim Pacuvium incusat Persius, quum hosce versiculos in medium indignabundus refert (*Sat.*, I, 71):

*Sunt quos Pacuviusque et verrucosa movetur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.*

Ignare: eorum sermo sine nervis est et sanguine, idest negligenter ingreditur et inepte exponitur.

Iove aequo: quum quis loquitur cum Iove propitio sibi. Iove equidem irato, fit ut errent homines ac delirent. Hinc de prudenti dicitur: Et iudicat probante et favente Iove. Ovidius habet: *Aequa Venus Teueris, Pallas iniqua fuit!*

Insector: non culpo et vitupero, equidem tam infenso sum animo in veteres nostros poetas, ut, exempli gratia, Livii Andronici scripta oblitteranda atque ex hominum manibus in perpetuum extorquenda censeam...

L. Livius Andronicus quis est? Hic qui omnium poetarum comicorum primus fuit, novissimus nobis est obvius. Genere graecus erat, et graecam eius originem arguit nomen ipsum Ἀνδρόνικος, quod latine sonat *virorum vicit*. Tarenti natus, et libertus M. Livii Salinatoris, relictis satyris, quae aliquot iam annos Romanorum studia tenuerant, comoedias et tragœdias, ex graeco

in latinum sermonem versas, conscripsit, identidem in scena actitavit, iam inde ab anno Urbis conditae quingeniesimo quartodecimo, post Sophoclis et Euripidis mortem fere centesimo et sexagesimo.

(*Ad proximum numerum*).

I. B. FRANCESIA.

PRO IUNIORIBUS

Nonnulla circa morum institutionem.

Croneredito mihi munere primum in *Alma Roma* proferendi scriptum quod sit praecipue iunioribus destinatum, morum argumentum delegi, illorum memor quae non immerito dici insueverunt: « Qui proficit in litteris et deficit in moribus, plus deficit quam proficit ».

Rudis igitur atque agrestis vitae ratio iam ab adolescentia ad metalla et Garamanthas abitionem maturet, cum omni corporis membrorum incomposito gestu. Caput obstipum et cervice reflexum, ac si interdiu quis velit sidera dimetiri: frons caperata, superciliorum contractio-nes, oculi diducti stultiae praesides; vagi, natantes, emissiti levitatis indices; solo fixi rusticorum pudorem et melancholicum humorem arguentes; humerorum contractio, et elevatio, divaricatio crurum, et alia eius census, quae iure in vitio posita sunt. Itaque ingenua facies pueri ad modestiam et humanitatem sit informata, corpus erectum, moderate tamen, ne quis veru degluti- visse cum catapotiis videatur; omnia membra suum faciant officium cum amabili aliqua venustate; oculi verecundi et in illum intenti quocum agit; manus non gesticulosae, sed quietae. Quod iam Cicero innuit, quum *Offic.* I. I. scripsit: « Nos autem naturam sequamur, et ab

omni quod abhorret, ab ipsa oculorum auriumque comprobatione, fugiamus. Status, incessus, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum ». Et alibi in libro eodem: « Ut in fidibus musicorum aures vel minima sentiunt, ita ex oculorum obtutu, superciliorum aut remissione aut contractione, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex retentia, ex contentione vocis, ex summissione, ex ceteris similibus facile iudicamus quid apte eorum fiat, quid ab officio naturaque discrepet ».

Sed rem proprius prosequamur. Discant adulescentuli canis capitibus assurgere, salutare libenter, caput aperire, decenter incurvare, ita tamen ut a mimicis et affectatis gestibus sibi temperent, qui facile nauseam pariunt, simulationem et dissimulationem inducunt, quibus nostra aetas fallere gestit et falli. Eo ingenio natus sum — non nemo olim dicebat — ut amicitiam et inimicitiam fronte promptam geram. Quot nunc haec repetere possunt? Facticius vultus, comicae incurvations, interdum ad telluris superficiem usque, porrectio dexteræ super aliquot iugera, multas heu! sinuosas lineas introduxerunt, a quibus, fucatis et externis blanditiis, arceri debet puerilis aetas; quae, contra, percipiat necesse est atque distinguere valeat quomodo domi cum aliis, in salutatione, allōquio, conversatione, in mensa, inter prandendum et coenandum sese gerere debeat.

At vero, quod aliis omnibus anteponi meretur, dum animus etiamtum sincerus est, hauriat verae pietatis stillantes guttulas; sine qua vana sunt omnia et infeliciter cadunt, etiam optime cogitata et prudentur incopta; hauriat quam suavis sit mansuetudo, quae exsecratur omnem excandescentiam et crudelitatem;

ut ornet comitas, agnathonica adulatio ne et morositate aliena; ut exhibaret urbanitas, quae omnem scurrilitatem et rusticitatem excludit; ut sobrietas et castitas animi et corporis vires conservent; veritas et prudentia hominem faciant commendabilem; mendacium autem et garrulitas, quae plena est rimarum, hac atque illac perfliuit, evadant odiosa; quomodo avaritia, spinarum ad instar, pungat atque timeat ne quid animae amittat; luxus et prodigalitas omnem benedictionem decoquunt. Omnia profecto haec novisse salus est adolescentulis, ut Comicus inquit; quum ista aetas non cerea similis tantum sit, cui nullo negotio quaelibet imprimitur figura, sed speculi, quod recipit quasvis imagines rerum oblatarum. Itaque « magna debetur puero reverentia », ne quid audiat ac videat, quod illum seducat et inficiat. Nam in tali fomite parva etiam scintillaflammam excitat et periculosum incendium. Quod poeta pensi habuit, quum scripsit:

*Nil dictu foedum visuque haec limina tangat
Intra quae puer est;
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.*

DOCTOR HAVER.

ANNALES

Europaei belli vis fere omnis, per elapsum Decembrem mensem MCMXV, in Balkanica regione permanavit. Quum ultimam huiusmodi eventuum recensionem nostram scriberemus, fama vagabat, ut diximus, Anglogallorum copias, ad Serbie subveniendum missas, oneri ferendi impares, retro cessuras; hodie receptus iam absolutus est, omnesque exercitus Thessalonicanam incolumes per-

venere, ubi sese validissime muniunt, si forte Bulgari vel Teutones supremum illic certamen iniicere cupiant. Quum idem receptor est initus, acies inter Czema flumen, Kavadar et Krivolac oppida continebantur; duplexque erat Serrail, Gallici supremi ducis, munus: alterum ut bellica tormenta commeatusque tueretur ac servaret; alterum ut a preventibus hostibus liberaret suos: utrumque optime perfectum est. Successum eundem Angli obtinuere, quamquam periculorum plena eorum alea magis erat: poterant enim a Teutonibus, qui Bulgariam invaserant ad meridiem pergentes, circumveniri. Re quidem vera, ad Doiran lacum id proxime futurum esse videbatur; sed auxilia opportune supervenerunt iterque expeditum brevi suis reddidere, quibus in valle Vardar fluminis sese cum sociis iterum coniungere datum est.

Suspensi itaque nunc omnium animi sunt quid latri proximi dies sint. An Bulgari ac Teutones, — Serbia iam omni in possessionem suam redacta et Nigri Montis regnum nunc oppugnantes; quod acerrime sese defendit, — ad Adriacum mare properabunt cumque Italii, qui in Albaniam exercitum traduxerunt ut res suas simulque illarum gentium defenderent, proelia committent? An reapse Thessalonicanam obsidione cingent? An denique, unitis cum Turciis quoque viribus, per Asiam, quam minorem appellamus, Aegypto bellum inferent?

Eventus docebunt; quumque in Orientalibus iis plagis nihil praevidere liceat, praeter ea quae praevidere nemo potest, docebunt etiam de Graecorum agendis ratione, itemque Rumenorum, neutrorum parti adhuc indefinite studentium, in medio hoc immanni incendio flagrante.

Ad hoc centrum rebus compulsis, haud mirum est si nihil peculiari nota

dignum ceteris belli in campis intercessit, ubi quisque, etiam hiemalium tempestatum causa, sese operibus munitiobusque praemunire satagit; exceptis fortasse Russicis, qui erudi temporis patientes magis, colligi dicuntur iamque in eo esse, ut violata populorum suorum iura exequi pergerant.

In mari pugna pugnata est contra Teutonum naves aliquot, quae Dyrrachium pyloclastris petierant; quarum binae, itemque hydrovolans, demersae sunt, classiariique in captivitatem redacti. Teutones, contra dedecus hoc famae suae ut egregie inservirent, *Persiam*, vectoriam navem ad Indos profectam, cum insolitus viatoribus per subaqueos linters more suo humanissimo perdiderunt.

*
* *

Quae Augustus olim Romae, ac recentius in Gallia Napoleo, sagax ille Iuan Shi-Kai in **Sinis** operatus est. Qui quidem, quum iam effecisset ut reipublicae praeses « ad vitam » cum facultate successorem suum designandi renunciaretur, ad ultimum regali sceptro assentitus est; visu repugnans, revera usus conditionibus suis. Et res tranquille satis processisse nunciatur in illo, quod igitur *Caelesti Imperium* rursus nuncupabitur.

*
* *

In Dania regni constitutio emendata fuit, novaque in eadem cauta vim legis hoc anno MCMXVI obtinebunt; **ex Monaci** denique **Principatu** restituta legatio est apud Summum Catholicorum Pontificem, quae ab anno MCMXI, quum legati illius temporis mors intercessit, vacua remanserat.

Kalendis Ianuariis MCMXVI.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Et fugit interea, fugit irreparabile tempus! Non annus, ecastor, sed vix mensis praeterisse mihi videtur ex quo, **de chronologia** scribens, quae circa species temporis minores dicendum habem, ea ad Ianuarium mensem MCMXVI demandabam. Atqui mensis Ianuarius iam adest quasi inopinus neque expectatus, monetque, freno non remorante dies, tacitis nos senescere annis. Et quo tempore eheu! et quibus annis... Sed ne in moestitiam cedat vultus, qui hilaris esse debet, quippe cuius intimos animi sui sensus, bona cuncta et fausta ominantes, vobis prae omnibus vult offerre; hoc debito soluto, promissis, nulla mora interposita, satis faciamus.

Species temporis minores, — quemadmodum inter omnes constat — sunt *annus, mensis, dies, hora*. *Annus* significantiore verbo apud Graecos ἐνιαυτός dicitur, hoc est « quasi in seipsum revertens »; nam nihil aliud est, quam mensium et dierum revolutio. Distinguuntur « annus solaris tropicus », intervallum scilicet temporis, quo sol ad idem zodiaci punctum reverti videtur unde fuit digressus, quo fit spatio dierum $365\frac{1}{4}$, ab « anno solari sidereo », redditu videlicet solis ad eamdem stellam fixam, et ab « anno lunari », unde continetur temporis spatium quo luna coniuncta soli in uno punto, postquam et sol et luna totum zodiacum, ut ita dicam, perambularunt, in eodem punto soli rursus coniungitur.

Annus lunaris est « communis », quum duodecim lunationes continet; est « embolismalis ». (ab ἐμβάλλω, intericio) quando tredecim lunationibus absolutatur.

Vetustissima anni forma illa est, quae annum ad lunae cursum describat. Hinc olim annus Graecorum erat diuum 360, cui Orientales partem huius anni septuagesimam secundam addebant. Sed ne in hisce longiores evadamus — (loqui enim potuerimus de annis Aegyptiis, Iudaicis, Chaldaicis, Persicis, Italicis; imo de variis Italicorum populorum rationibus computandi annos) — memorare satis sit nostrum annum decurrere iuxta calendarium Julianum, quem scilicet Iulius Caesar, ab Alexandrinis edoctus et in concilium adhibito Sosigene peripatetico, instituit; vel potius Gregorianum; Gregorius enim PP. XIII illud emendavit, opera Christophori Clavii. Uterque annus vel communis vel bissextus, seu « intercalaris » est, quemadmodum rudi etiam popello innotuit; qui item haud ignorat quadrinas, quas Cicero vocavit, temporum vices; id est quadrantes quatuor, quibus annus dividit consuevit: ver, aestas, autumnus, hiems.

Menses a metiendo vel mensura dicti fuere, ut Cicero adnuit, quia mensa spatia conficiunt. Et hi duplices sunt, solares nempe et lunares. Alter est spatium temporis quo sol (ut in apparente persistamus) — signum perambulat; lunaris triplex cognoscitur; periodicus, synodicus, illuminationis. Periodicus, temporis spatium complectitur, quo luna ab uno zodiaci puncto digressa, ad idem revertitur. Synodicus est intervallum ab uno interlunio (seu solis lunaeque coniunctione) ad alterum. Hic mensis longior est periodico. Dum enim luna perambulat zodiacum, quod facit viginti et septem fere diebus, iamque redit ad illud punctum, in quo soli iam ante iungebatur, sed in illo solem non inventit, nam et ille diebus istis viginti septem

progreditur, itaque ut solem assequatur iterumque cum illo coniungatur, currit luna fere dies tres, hoc iter lunare accedit mensi periodico. Mensis denique illuminationis est spatium temporis quo luna in caelis apparet. Hic incipit cum secundo die ἀπὸ τῆς σπούδου, quae dicitur φάσις. Hoc ideo observari meretur; nam Athenienses ἀπὸ τῆς σπόδου suas computabant Neomenias; Iudei autem, Chaldaeи, Samaritani, Damasceni, Hagarreni ἀπὸ τῆς φάσεως.

Mensium nomina eorumque originem apud varias nationes praetereo; placet, contra, versiculos referre qui, dierum numerum cuiuslibet mensis declarantes, memoria aliquando subvenire poterunt: *April ter denos, Ian., Septemberque, November: Uno plus reliqui: viginti Februus octo; Sed si bissextus fuerit, super additur unus.*

Neque negligendum arbitror, quomodo dies cuiuslibet mensis in fastis Romanis, et igitur in Romano calendario, numerarentur, et id versiculis expressum, prouti sequitur:

Prima dies mensis cuiusque est dicta Kalendas; Sex Nonas Maius, October, Iulius et Mars, Quatuor at reliqui; dabit Idus quilibet octo. Inde dies alios omnes dic esse Kalendas, Quos retro numerans, dices de mense sequente.

Dies... sed nonne et vobis, ut mihi, videtur argumentum pro Ianuario venturi anni mense relinquere? Erit id ipsum omen utrisque.

* *

Nivales pilae.

Si quis hunc titulum legens crediderit de pilari ludo me loquuturum, pueris hiemali hoc tempore tam grato, in errore versabitur.

Nivales enim hodiernae pilae meae, crustularum genus constituunt — (non-

ne igitur vides, anonyme mi Badaicensis, ex memoria te minime a me depositum fuisse?) — cuius comparandi rationem, non satis profecto simplicem, indicabo.

In latiore vase Vulcano committas lactis dimidiatum *litrum*. Dum eius ebullitionem expectas, ova tria aperias, vitellisque ex albumine seiunetis, hoc coquinaria scutica de more alacriter flagella, — tot salis addito, quot digitis comprehendere valeas, — donec spumeum factum fuerit. Quum lac defervere cooperit, in illud totidem cochlearii mensuris infundas huiusmodi albumen, quod in globulorum formas convertetur. Efficias, accurate vertendo, ut globuli iidem undequaque torreatur; firmatos perforata tudicula abstrahe, incernicu-loque excolandos concredas.

Tum vitellis, quos seposuisti, fustem vicissim impingas, iis paullatim lac unias tepidum adhuc, in quo albumen prius est conditum; adde sacchari grammata 75, compositumque huius generis igni rursus expone ad cremum formandum, quod assidue quaties, cavebisque ne feruefiat. Quum cremen aliquantis per densatum fuerit, cum eoque vanillae aliquid commisceueris ut gratus odor eidem consocietur, super globulos albūminis iam in paropside belle dispositos effundas, fertumque frigefactatum mensae demum apponas.

Quantum ad crustulum hoc confidendum rerum praescripsimus, convivis quatuor abunde sufficiet. Experimentum agite, mihiique quartum hunc locum in vestra mensa relinquite.

* *

Ioci.

Villico cuidam, qui in urbem litis cuiusdam causa venerat, proficiscenti

cum crumena satis exonerata, advocatus:
— Ecquid, quum ad cives tuos redi-
veris, de hac urbe nostra referes?

Villicus tacet; instat alter:

— Nihilne habes? Tum vero fallaciam
aliquam fingas; licet enim mentiri ad
urbem magnificandam.

— Dicam profecto virum te magis

bonum et probum inveniri nunquam a
me potuisse.

Ex odontoiatrae cuiusdam titulo:

DULCAMARA DOCTOR

Pro unius dentis arulsione libell. 5

Pro duodenorum libell. 50.

IOSFOR.

ROMA SACRA

Acta Benedicti XV P. M.

*Allocutio habita in S. Consistorio d. VI
mens. Decembbris MCMXV.*

Venerabiles Fratres,

Nostis profecto quaenam obstiterint causae, quominus amplissimum Collegium vestrum antehac in Consistorium convocaremus: quod si hodie tandem aliquando in huius dignitate aulae vos conspicere frequentes licet, non ideo licet quod ea sublata sint impedimenta, sed quia veriti sumus, ne longior mora huius Romanae Curiae administrationi quidquam officeret. Non paucos enim ex Ordine vestro, alium ex alio, tum superiore anno, tum hoc ipso desideravimus; si autem quovis tempore Romanus Pontifex consiliarios tam peritos adiutoresque tam fidos sibi eripi merito doluisset, at Nos vehementius talium de amissione virorum dolemus, qui hac turbulentissima aetate Ecclesiam Dei gubernandam suscepimus.

Iamvero quum, hoc sexdecim mensium spatio, tanta sit ruinarum deploranda moles; quamvis percrebrescant in animis almae pacis desideria, et pacem cum questibus tot familiae deprecentur; etsi nullum Nos officium praetermisimus, quod paci properandae componendisque discidiis esset aliquo pacto profuturum, hoc tamen exitiale bellum terra marique perseverat adhuc; dum miserrina Armeniorum gens prope ad interitum adducitur. Atque Litterae ipsae, quas ad belligantes populos eorumque duces, post annum a bello inito, dedimus, etsi

reverenter exceptae sunt, non eos tamen, qui in optatis erant, peperere fructus. Quoniam autem vices in terris Illius gerimus, qui est *Rex pacificus et Princeps pacis*, facere non possumus, quin maiore in dies tot filiorum misericordia commoveamur, continenterque ad benignissimum Deum supplices tendamus manus, toto pectore efflagitantes, velit iam cruentam dimicationem virtute sua profligare. Cuius mala quum studeamus, quantum in Nobis est opportunitas, ut nostis, allevare remediis, Apostolico officio nunc iterum impellimur suadere rationem, quae una ad huius belli restinguendum incendium possit conducere. Parandae enim illius pacis, qualem universitas gentium tantopere exposcit, quae iusta scilicet ac stabilis sit, non quae alterutri tantum parti prodesse videatur, ea profecto potest via felicem habere exitum, quam, in rerum temporumque condicionibus haud dissimilibus alias experiendo probatam, in iis, quas diximus, Litteris commonstravimus. Consiliis videlicet utrumque, vel per se vel per interpretes, collatis, sua cuiusque rationes atque optata, volentibus animis et sincera officii conscientia, aperte dilucideque aliquando manifestentur accurateque expendantur, ita sane ut quae iustitiae haud congruant, quae modum excedant, ea quidem tollantur e medio; cetera vero, pactis etiam ex aequo, si res ipsa postulet, compensationibus, admittantur. Per se patet, quemadmodum in quavis hominum controversia quae eorum iudicio dirimi velit,

illud plane requiri, utraque ex parte disceptantium, ut de susceptis propositis vel de praecepta utilitatum spe remittatur aliquid seu concedatur; eiusmodi vero concessiones, vel cum aliqua iactura coniunetas, alteri libenter alteris impertiant necesse sit, si nolint id coram Deo et hominibus sibi noxae futurum, quod ista tam cruenta proeliandi immanitas, ad hunc diem inaudita, adeo producatur: qua quidem ex productione exsistere causae possint, cur Europa de illo humanitatis honestissimo gradu, quem ope christiana religionis attigerat, decidere incipiat.

Haec quidem de bello, habita populorum ratione qui tam magna calamitate implicantur. Quod si perpendiculariter, quaenam certamen istud universarum paene Europae gentium rei catholicae et Apostolicae Sedi importarit incommoda, nemo non videt quam gravia ea sint, a dignitate Romani Pontificis quam aliena. Iam alias, Decessorum Nostrorum exemplo, questi sumus, Romanum Pontificem in ea versari condicione, ut plena nequeat perfrui libertate, qua ad Ecclesiam regendam omnino indiget; verum, quem fugiat, id multo clarius apparuisse hoc tempore? Ea certe voluntas gubernatoribus Italiae non defuit, ut amoverent incommoda: at hoc ipsum plane ostendit, Romani Pontificis sortem a civili potestate pendere, eandemque, mutatione hominum atque rerum, mutari posse atque etiam ingravescere; quam Pontificis condicione, incertam prorsus et alieno obnoxiam arbitrio, eam esse quae Apostolicam Sedem deceat, nemo prudens affirmaverit. Ceterum fieri non potuit, quin plures, eaeque graves, permanerent difficultates. Ut alia praetermittamus, illud satis sit animadvertere, ex legatis exterorum Principum nonnullos, sui muneris ac dignitatis tuendae caussa, abire compulsos esse: qua re cum Sedis Apostolicae ius proprium et nativum ac necessarium quoddam praesidium deminutum vidimus, tum sublatum eidem ordinarium apprimeque idoneum instrumentum, quo ad pertractanda cum extensis civitatibus negotia uti solet. Quo in genere, maxime dolendum, eo usque res

processisse, ut in altera e partibus belligantibus exoriri potuerit suspicio, Nos, necessitate quadam, in negotiis quae ad gentes inter se decertantes pertinent, sic iam nunc iudicare, sic agere, quasi iis morem gerentes quorum voces aures Nostras unicae attingant! Quid quod Nostrum difficilis evasit cum catholico nomine commercium, ac saepius impediti sumus ne de rebus permultis plene cognosceremus: quas quidem esse Nobis probe cognitas magnopere intererat?

Videmur, Venerabiles Fratres, satis significasse, moerorem, quo angimur, sic augeri cotidie, quemadmodum in immensum crescit haec tanta trucidatio hominum, agrestioribus vix digna aetatibus, fitque eodem tempore Apostolicae Sedis condicio deterior. Neque dubitamus, quin vosmet ipsi, ut euras et sollicitudines Apostolici inuneris habetis Nobiscum communes, ita Nobiscum utraque de causa doleatis; immo etiam putamus christianum populum universum, aegritudinem nostram participare. Verum, cur concidamus animo, quando Princeps Pastorum Iesus Christus se Ecclesiae suae nullo tempore, nedum in afflita adversaque fortuna, defuturum despondit? Fidenter igitur amantissimum humani generis Servatorem supplicibus adeamus precibus, quibus caritatis poenitentiaeque opera comitentur, si forte *dives in misericordia Deus velit aerumnis, quibus hominum genus in praesenti premitur, finem quam primum imponere*.

Sed, ut eo redeamus unde coepimus, ad supplendum amplissimum Ordinem vestrum, praestantissimos viros dare vobis hodie socios atque adiutores deliberavimus. Ex utroque clero eos numero pares elegimus; elegimus ex iis qui vel domi episcopali munere vel commissionis apud exteros Principes legationibus sunt egregie utiliterque perfuncti; ex iis denique elegimus, qui in iuventute sancte instituenda praecleara cum laude elaborarunt et ad procurandam animarum salutem cum fructu incubuerunt: quos omnes pro certo habemus esse Nobis in catholica re provehenda sollerter sapienterque adfuturos.

(*Sequitur in consueta forma novorum Purpuratorum Patrum renunciatio.*)

FRANCISCVLI PRANDIUM (4)

HIPP. — Francisculus vera fatetur. Equis ignorat hominum mores, provecta potissimum aetate, mutari sine detrimento non posse? Atqui ego huc usque perveni, ut si alicubi mihi esset assidendum, vel in aliqua ipsa sella quae mea non esset, cibos excoquere nequitem. (*Oculis signa dat Francisculo*).

VINC. — Inter sacrum sto et saxum. Hoc autem est quod peracescit, istum cum pullo suo Indico tantam mihi salviam movisse...

FRANC. — Do tibi fidem, si ego scivissem te adesse, nunquam vocem meam a te auditum iri!

HIPP. — Sic facito: redi vespere ad coenam. Supererit quidquam exossandum...

FRANC. — Immo vero coenam ita ego suavitate condiam, ipsos faciam ut dgitos tibi praerodas tuos.

VINC. — Convenit.

FRANC. — (Anhelitum recipio!)

VINC. — Ad quam vesperi horam?

HIPP. — Quando vis, veni, et parata coena erit.

VINC. — Prius tua opinione hic adero.

HIPP. — Ambula ergo nunc, et bonum animum habe, o rerum dulcissime.

VINC. — Ambulo, et redambulabo ad esum, quasi ad praesepim meam. Ne pulli Indici, quaeso, pennae et ossa una supersint!.. Ah! ah! Vale. (*Exit*).

FRANC. — Salvus tandem sum!

HIPP. — Timui profecto ne locum tuum ad mensam sine mora ille occuparet!

FRANC. — Me autem metus omnino exinaniverat.

HIPP. — Eia itaque, rem ages; dumque omnia cocta fuerint, tuque iubeas ire accubitum, ego vestitu et munditia aliquantum mihi indulgebo. (*In conclave suum recedit. Francisculus itque redditque cum manteli, mappis, mensalibus, trybliis, vasibus, omnibusque quae necesse sunt ad mensam instruendam. Interea musici concentus exaudiuntur*).

HIPP. — (*Ex conclavi*). Ohe, Franciscule!..

FRANC. — Ellum!

HIPP. — Cui occentatur ad ostium?

FRANC. — Nescio equidem.

HIPP. — Visum eas.

FRANC. — Relinquam ne pullum in igne versatum?

HIPP. — Neque mihi fas egredi quirado barbam.

(*Voces inter musicen clamant: Dii plus plusque Hippolytum sospitent!*)

FRANC. — Audin, domine mi? Conclamat hodie tuum esse diem nominalem.

HIPP. — Hodie? Minime gentium.

FRANC. — Quin etiam tute dicunt: hodierna namque dies vigesima secunda mensis Augusti beato Hippolyto sacrata est. (*Hippolytus ingreditur*) Sinas igitur ut bona omnia fausta ac felicia et ipse tibi adprecer usque ad saeculum et ultra.

HIPP. — Atqui pignore certem, o puer iam veterator, a te occentum hunc comparatum fuisse.

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Roman*, *Via del Governo Vecchio*, 96. ☺ ☺

DE PULCHRITUDINE
TUM NATURAE, TUM ARTIS

Pervulgata iam viget pulchritudinis quaedam in duas classes distributio, naturalis scilicet et artefactae; neque ea incongruens, siquidem haec tamquam suprema genera haberi possunt, ad quae omnis exorta pulchritudo reducatur. Naturae autem nomine agentia necessaria intelliguntur, quae sint ad unum tantum determinata, ut ignis ad comburendum; non quidem agentia libera, quae sese ad opposita determinare possunt. Itaque pulchritudo naturalis hic voluntariae ac liberae obiicitur, fitque sine advertenti mente ac voluntatis imperio, sed solum sponte naturae. Aliis verbis, prima eius distinctionis classis pulchra certe respicit, quae in theatro naturae producuntur legibus necessariis, non subditis imperio particularis agentis, sed unius tantum Agentis universalis, hoc est Omnipotentis Artificis: universalis enim natura cum Deo comparatur ut instrumentum cum agente principali. Altera autem classis pulchra complectitur, quae perficiuntur ab agente libero, nempe ab humana voluntate, praevia consideratione mentis (1).

(1) Nomine equidem *artis* agentis liberi dexteritas proprie significatur.

Si vero et naturae et artis pulchra invicem obiiciuntur, non tamen *opposita*, iuxta verbi vim, intelligenda sunt, at potius *iuxta se posita*, seu unum alteri subiectum, ita ut absoluta comparatio institui nequeat. Quaesitum nihilominus est utrum ars naturae praestet; utrum videlicet pulchritudo artefacta naturae valeat pulchritudini excellere. Hanc adamussim quaestionem brevi hodie adgradimur.

* *

Atqui pro certo affirmare non dubitamus, re simpliciter et sua vi considerata, artem longe a natura superari. Ars enim a natura dependet, ab illa nempe veluti divinae sapientiae administra; unde fit ut naturalis pulchritudo sensibilis expressio evadat speciei eximiae, *ideae exemplaris* (ut vulgo dicimus), in mente ipsius Dei existentis: quapropter ut artifex eiusque opera perfectionem assequantur, naturam, seu rationem divinam debent imitari. Hinc recte natura *Filia Dei* dicitur; ars autem *Dei Nepos*, et *Naturae Imitatrix*.

Praeterea natura, ab infimo rerum gradu usque ad corporeum vivens perfectissimum, in materiam inducit formam substantialem; ars, e contra, solummodo formam accidentalem. Insuper, si principium quoque spectemus unde natura